



DE  
**VIRIBVS MEDICAMENTORVM**  
**EXPLORANDIS**

EX AVCTORITATE  
GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS  
IN REGIA FRIDERICIANA  
PRAESIDE  
**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,  
POTENTISSIMI PRUSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVR. PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,  
FACVLT. MEDICAE SENIORE ET H. T. DECANO,  
REGIORVM ALVMNORVM EPHORO,  
IMPERIALIS ACADEMIAE NATVR. CVRIOS. PRAESIDE,  
REGIAR. SOCIET. SCIENT. ANGLIC. BEROL. ET MONSPELIENS. SODALI,  
ET COMITE PALATINO CAESAREO,

**PRO GRADV DOCTORIS**  
ET OMNIBVS EIVS PRIVILEGIIS RITE CONSEQUENDIS

D. XI. OCTOBR. A. S. R. MDCCLXV.

H. L. Q. C.

PVELICE DISPVTABIT

AVCTOR

**IUSTVS HENRICVS CORDEMEYER**  
HERFORDA-GVESTPHALVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE,  
TYPIS IOANNIS ANDRAE STEPHANI.

CICERO de Diuina.

*Mirari licet, quae sint animaduersa a Medicis herbarum genera, quae  
radicum, ad morsum bestiarum, ad oculatorum morbos, ad vulnera,  
quorum vim atque naturam ratio nunquam explicauit; uiriliter  
et ars est et inuentor comprobatus.*



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
VIRIBVS MEDICAMENTORVM  
EXPLORANDIS.

---

PROOEMIUM.



Cuilibet arti sunt sua instrumenta, quorum a virtute atque praestantia, artificis nomen atque honos dependet. Dum illis caremus, vel earum vires atque commoda ignoramus, fieri non potest, quin acutissimum ingenium, quamquam omnibus artis regulis bene imbutum sit, felici successu destituatur et oleum operamque perdat. Medicorum imprimis conamina atque labores, quibus vitam sanitatemque humanam tueri volunt, vtraque causa saepe ita obstruuntur, vt euentus nullo modo illis respondeat. Lugent enim, plures exstare morbos, et quidem saeuissimos, qui omnes medicamentorum, quae



quae huc vsque detecta sunt, virtutes spernant, et celeri pede funditus euertant animae domicilium. Et si quaedam sunt remedia, quorum salutiferae qualitates a magnis artis nostrae doctoribus depraedificantur, plerumque tamen fit, vt alii, aequae magna gloria in orbe erudito ornati, strenue sese opponant, ab illis laudata perstringant, et noua in eorum locum suggerant, aduersariorum vituperatione mox calumnianda.

Omnis materia medica tristissimi huius fati numerosa praebet exempla. Nostrum quidem non est in causas inquirere, quae Medicos de medicamentorum viribus inter se dissentire atque discordare faciunt: id tamen fateri licet, alios imprudentia labi, alios autem, mala ambitione adductos, honori sibi ducere, si sententias a multis approbatas aperte repudient. Grauiissimum vero damnum atque detrimentum ab omni aevo arti salutari exinde allatum est, in Medici tyronis imprimis malam partem vergens, quippe qui, propria experientia destitutus, dubius haeret, cuius sententiae in eligendis remediis fidem adhibeat. Regeris forte, illam praefendam esse, quae grauioribus fulciatur argumentis; sed id ipsum discernere non tam facile est, quamquam, si recte de causa auguror, cardo circa hanc rem in eo versatur, vt nimirum varias methodos, medicamentorum vires explorandi atque probandi, inter se comparemus, et quae certissima sit, examinemus. Si enim Auctores sibi contradicunt, illi fides certe habenda erit, qui non ex vano praerudicio aut ridicula auctoritate, sed vera probandi ratione remediorum actiones determinat. Apud me igitur constitui, de variis methodis, quibus in explorandis medicamentorum viribus hodie vtuntur Medici, pauca proponere, vt, quae securissima sit, quodammodo elucescat. Vtina vires meae exiguae rei grauitati respondeant! Sed veritati studeo, nec laudes quaerens, nec vituperationem extimescens.



§. I.

**Q**uamquam actiones corporis humani, admirabili nexu inter se conspirantes, conseruationem suam mutuis viribus inter se promoucant, et labefactatae machinae animalis partes inuicem sibi opem ferant, amicoque auxilio succurrant; minime tamen internae vires ad iniurias sibi illatas profligandas semper sufficiunt, vt potius, maioribus insurgentibus viribus, haud raro interitus atque mors acceleretur, nisi fortuna vel consilium variis adminiculis morborum atque naturae impetum reprimat. Quidquid autem vires corporis humani ita dirigere valet, vt ordo atque consensus actionum iterum restituatur, siue impetuosiore coerceat, siue languidis stimulum inferat, *remedium* vocatur. Veteres non inepte tria illorum genera posuerunt. Res illae, quae proprie sanum corpus conseruant, dum partes corruptas et e corpore reiectas purioribus resarciunt, vel motum eius varie modificant, nonnunquam in locum remediorum succedere possunt, talesque sub nomine *diaceticorum* comprehenduntur. Reliquorum autem corporum, quae sanitatem restituere valent, differentia a modo agendi pendet. Quorundam enim vires a qualitatibus corpusculorum suorum in se spectatis oriuntur, in aliis autem ad illum modum, quo inter se vniuntur, insimul attendendum est. Illa *medicamenta*, haec vero *instrumenta chirurgica* appellantur.

Hac notione, vt credo, medicamenta a reliquis remedijs facillime distinguere possunt, nec ab vsu loquendi aliena est nostra definitio. Consideres velim omnia corpora, quae sub illo nomine veniunt, nec vllum inuenies, in quo, dum agendi rationem perpendis, ad texturam seu compositionis modum attendendum esset. Sumas salia, gummata, resinas, et in quamlibet formam transmutas, nihil plane in eorum actione alteratur. Figura rotunda, quadrata, vel quaelibet alia Camphorae,

Opil, &c. vitibus nil detrahit, nil addit: Rhubarbarum, siue in pilulis, siue in puluere, siue in electuario datum, semper aluum mouet; quod ita fieri non posset, si modus compositionis corpusculorum ad medicamentorum actionem necessarius esset; immo virtutes suas exercere non possunt, nisi in valde subtiles moleculas resoluta. Sed longe aliter res habet, dum ad instrumentorum chirurgicorum actiones respicimus. Ferra secantia, perforantia, terebrantia, tubuli pro iniiciendis quibusdam fluidis formati, fasciae partes firmantes et contringentes, vi externi habitus potissimum officium suum praestant, et sublata partium cohaesione vsus eorum perit. Haud vero nego, eam esse nonnullorum remedium naturam, vt medicamentorum aequae ac instrumentorum nomine insigniri possint. Sic v. g. emplastrum; vulnere labia conglutinans, hoc respectu ad posteriorem classem refertur; sed, dum infima materiae, humorum acrimoniam corrigentes et partis lactae consolidationem adiuantes, mixtionem eius ingrediuntur, hac ratione tanquam medicamentum insimul operatur.

## §. II.

Corporum mutationes, a rebus externis excitatae, dependent quidem ab harum structura atque vi actiua; nec minus tamen in illis ipsis quaedam adesse debent conditiones, quibus ad suscipiendas affectiones apta euadunt. Hinc species corporum tantummodo certas admittunt mutationes, et varia, pro diuersa sua structura, sensibus praebent phaenomena, quamquam res illae, a quibus afficiuntur, vnus eiusdemque saepe sint naturae. Frangitur vi mallei vitrum, cuduntur metalla. Spiritus ardens soluit resinosa corpora, eodem liquore albumen oui in spissum coagulum cogitur. Quodsi igitur accuratam et solidam cognitionem mutationum, quae corpori humano a medicamentis eo fine inferuntur, vt sanitas eius restauretur, acquirere volumus, tam ad qualitates molecularum, e quibus medicamenta composita sunt, quam ad naturam machinae nostrae respiciendum erit, quae cum

cum ex tam variis partibus fabricata sit, et hae ipsae ex minoribus, quae decrecente ordine sese semper excipiunt, compositae sint; fieri non potest, quin singula remedia innumeras fere inferant machinae animali mutationes, dum per totum corpus disperguntur, plures partes simul aggrediuntur, et vim suam in illis exerunt. Deprehendimus enim fluida crassioris, tenacioris, subtilioris ac penetrantioris, inflammabilis, coagulabilis naturae; solida mollissima, muco non ab similia, duriora, immo durissima, lapideam duritiam nonnunquam aemulantes, in planum extensa, in tubulos conuoluta, sentientia et insensilia, et alia plura. Necessarium igitur est, ut mirabilis varietas mutationum in conspectum veniat, dum unicum medicamentum adhibetur. Illustrat nostram sententiam omnis materia medica. Salia, quae stimulo vegetiore excitant solidarum partium motum, humorum tenaciores solvunt particulas, earumque cohaesionem minuunt. Succosa Manna pituitam fundit, rigidas membranarum fibras lenit, biliosam acrimoniam demulcet, et blanda irritatione sordes ab intestinis educit. Scordii herba particulas humorum inter se movet, ut fluidiores evadant; sed dum putredinoso motu compagem suam destruere nituntur, mira virtute resistit et vividiori renum atque cutis functione nocivas partes exire iubet. Sed adhuc annotandum est, quod multae partes corporis animalis primo intuitu congruentis esse naturae videantur; accuratiori examine autem patet, actiones earum multum inter se discrepare, et hinc etiam fieri, ut varia ratione a medicamentis afficiantur. Nervi atque vasa arteriosa secermentia id facillime testantur. Tartarus emeticus, oculis inspersus, neque dolorem, neque lacrymam movet; sed per os adsumtus mox ventriculi et ductuum biliferorum fibras lancinat et irritat, vel maiori quantitate datus acutus cruciatus excitat. Cantharidum acres moleculae urinam pel-

lunt;

lunt; intestinorum canalis eas non sentit. Glandularum functiones excretoriae mercurialibus potissimum adaugentur.

## §. III.

Quodsi autem insimul perpendimus, machinae nostrae partes, quacunq; ratione etiam inter se differant, arctissimo vinculo nexus esse, et actiones ita inter se conspirare, vt quacuis alterius mutationem percipiat et certa proportione alium statum sibi induat, magis adhuc elucescit, quod singula medicamenta pluribus effectibus stipata sint, quorum alii proxime ab illis dependent, alii autem magis ab ipsa structura corporis nostri agentis deriuari et pro remotis potius haberi possunt. Priores faepius latent, et dum posteriores tantummodo sensibus sese manifestant, ad illorum inuestigationem, dum caute regredimur, optime ducimur. Neque tamen nego, has nonnunquam tam leuis esse momenti, vt accuratissimam spectatoris solertiam fugiant. Cordis intumentes fibrae sanguinis riuum mouent, qui arterias dilatans et ab iis ipsis noua vi propulsus, caput petens, neruorum actionem concitat; ab his autem dirigitur musculare robur; et quaenam pars organica illo carere potest? Stimulus igitur, qui cordi infertur, plurium partium functiones insimul immutat. Alte trahunt pulmones spiritum, fortiter pulsant capitis arteriae et ruborem faciei inducunt, funduntur lacrymae et de tota cute roseidae stillant guttulae, donec stimulus vim suam amittat, vel eiiciatur. Quam ob causam medicamentis calidis, quae impetuosorem excitant humorum circulum, plerumque vis resoluens, sudorifera, diuretica et emmenagoga tribuitur.

## §. IV.

## §. IV.

In corpore humano, dum vita fruitur, principium adfit necesse est, ex quo omnis motus omnesque actiones, quae ad vitam proprie pertinent, explicari possint. Difficillimum esse, de eo iudicare, dissensus Auctorum circa hanc rem fati probat, quamquam signa vitae facillime plerumque sensibus se offerunt. Quod siue naturae, siue impetum facientis, siue animae, siue principii vitalis nomine insignias; parum vel nihil inde explicatur. Id tamen certum est, sine eius concursu medicamenta nunquam salutare effectus praestare posse; immo morborum medelam potius ab illa, quam ab his expectandam esse. Adiuuamus remediis naturam operantem, vires eius vel incitando vel coercendo dirigentes, et sapientissimam eius methodum obseruando imitamur. Hinc omni cura enitendum est, vt naturae molimina a medicamentorum vi probe discernamus. *Vnus ille, inquit, BOERHAAVIUS, de viribus medicamentorum apte dixerit, qui mutatam ab illis naturam et mutantem alia, obseruauit caute. Ope horum adiuta natura, morbos sanat immedicabiles. Orat. VIII, uz. Eadem est sententia HOFFMANNI: Non minima, inquit, est prudentia, distinguere effectus remediorum ab effectibus solius naturae. Etenim in morbo non tantum medicamenta agunt, sed et natura ipsa agit. Et paulo post, de Viribus medicamentorum et causis ignorantiae earum disputans: Nihil frequentius, ait, est, quam quod naturae, immo morbi effectus, a vulgo et ignavis Medicis pro operatione medicamentorum habeantur ac falso venditentur. Plures vero ex idiotis saepe hac ratione immeritam plane quandam famam callide aucupantur, vt oblato ab ipsis circa dies criticos, quibus sponte soluitur morbus, vel etiam sub declinatione, medicamini, subsequentem salutarem effectum tribuant et ignavis imponant. Interim tamen non negandum,*

B

reme-



*remediorum, naturae et morbi effectus non semper a priori satis distinctos comparere, sed prudentissimos etiam saepe in cognitione falli.*  
 Medicin. System. Tom. III. Sect. II. Cap. III.

## §. V.

Hominum diuersas naturas spectanti et varietatem conditionum, quae discrimen inter illas efficere valent, bene perpendenti, amplissimum campum hic aperuisse mihi videor, quo multis locis clare perspiciat, quantum medicamentorum actiones in diuersis hominibus variare possint, et quid sit, quod in hoc multo fortiores, quam in illo, appareant. Quae in pluribus noticia deprehenduntur, nonnunquam in certis personis salubria euadunt, vti corporum exhalationes quaedam aliis mali odoris esse videntur, aliis gratae et suaueolentes audiunt. Qua de causa PECHLINVS: aliquando, ait, in medicina conueniunt, quae conuenire nec posse, nec debere, iuratus crederes; adeo aliena sunt illa, cum a scopo Medici, tum medicaminis effectu. Nunc etiam quae speras et fingis animo futura, non conueniunt, et quum conueniunt, aliter, quam oportet. Illam esse causam puto, quod Auctores, qui historiam Materiae medicae tradiderunt, tot et tam apertas contradictiones enunciant, et meritissimi de arte nostra Viri saepius acres disputationes inflituant, nec alteruter sententiam suam flectere velit, ad experientiae testimonium, tanquam sacram anchoram, confugientes. Certe experientia fallere non potest, dummodo experimentum secundum omnes et minimas etiam circumstantias legitime fuerit determinatum. At ille est nodus. Alii non accurate ad omnes condiciones attendunt; alii eximiam industriam frustra impendunt, quia aegroti multa scitu necessaria referre recusant, vel internus corporis status saepe ita later, vt lyncis oculi nil detegant.

Qua

Qua de causa a fine nostro non alienum puto, pauca de diuersitate naturae humanae hic apponere.

Primo omnino aetas incedere debet, multam discriminis causam in se continens. Recens natus, vel si illum attentione minus dignum habeas, infans et puer, organis maxime sensibus instructus, lenissimis irritationibus exagitur, ut non solum remedia parua dosi data, sed etiam illa, quae in proeuctiori aetate inutilia deprehenduntur, satis manifestum effectum edant. Sed cum corpus succosum atque laxum obtineant, excretiones certo respectu facilius expediri et lenius ferri possunt, quam in senioribus. Cum enim in his tenaciores humores et vasa rigidiora separationi particularum, illisque per minima vasa lateralia transeuntibus, impedimenta ponant, contrarium eueniat necesse est. In proeuctioris aetatis subiectis glandulae magis magisque infarciuntur, vel plenarie obstruuntur, eaque propter remedia, quae humores impuros per illas ad organa excretoria ducere debent, v. g. mercurialia, speratum effectum non ita in illis praestant, quam in iuuenili aetate. Neque tamen ipsis remediis id tribuendum.

Sexus fere eadem est ratio. In feminino corpore laxitas fibrarum, maior earum sensilitas, abundantes humores, id efficiunt, ut remedia relaxantia, irritantia et euacuantia citius virtutem suam monstrant, quam in maribus. Sed hic nequaquam subsistere conuenit, cum multae conditiones in feminis occurrant, quae corpori valde diuersum habitum reddunt. Virginum, ante et post menstrui fluxus eruptionem, grauidarum, parturientium, puerperarum, lactantium, vetularum, varius status huc referri debet. Quodsi enim naturam earum perscrutamur, multae



rationes sese offerunt, quae ad variam medicamentorum actionem concludere nos iubent.

Nec minoris momenti sunt temperamenta, quorum discrepantia vii modo his, modo illis morbis fauet, remediorum etiam vires varia ratione dirigit. Quae enim in sanguineis corporibus impuros humores sine multo labore educunt, tantum non semper phlegmaticorum et melancholicorum organa excretoria intacta relinquunt, vel molesta tantummodo molimina excitant, nisi aucta eorum dosi succurras.

Quaedam rubefacientia a nervis spongiosi et succulenti corporis non percipiuntur. Sed dolendum est, doctrinam de temperamentis nondum ita exaratam esse, vii dignitas causae requirit.

Quid autem vitae genus, coeli temperies, soli, vbi vivimus, natura, omnesque res sic dictae praeternaturales in mutanda corporis animalis oeconomia valeant, minime later, sed promptum propositumque est, vt actum agere vererem, si de his rebus fusius iam agere vellem. Historia naturalis multorum populorum et regionum magnum thesaurum Observationum colligit, quae nullo modo pro dignitate satis aestimari possunt, et quotidie adhuc suppleri merentur, dum fatendum est, naturam nunquam exhauriri posse. Vnicum exemplum proferre liceat, quod nobis demonstrat, climatibus haud exiguum imperium in medicaminum actiones esse. Nigrorum, qui Africae feruentem arenam colunt, vel etiam e patria educli temperatiori Americae septentrionalis coelo gaudent, corpora, venerea lue correpta, hydrargyri vim medicam non solum respuunt, sed etiam in tristissimas afflictiones, illo adhibito, delabuntur, cum e contrario lignorum



lignorum decoctorum vsus, in Europaeis ditionibus plerumque insufficientis, cito atque tuto omnem labem in praedictis regionibus tollat.

Adde denique idiosyncrasiam, cuius nomine saepe vi-  
mur, si phaenomena nonnunquam occurrunt, quae cognitis oeconomiae animalis legibus sufficienter explicari nequeunt, ut certe eruditum verbum ignorantiam abscondat. Sicuti natura corporis secundum species hominum differt, ita etiam in singulis semper non eadem deprehenditur. Infinitae concurrere possunt causae, quibus hoc individuorum discrimen constituitur, ut in externo corporis habitu idem facile animaduertitur. Complexus autem determinationum, quibus singuli homines inter se differunt, *idiosyncrasia* nobis audit. Sed si, quod verum est, fateri licet, distincte illam cognoscere velle, vix non semper frustraneum esse laborem, mihi persuadeo. Medicus acute observans obscuram quidem illius acquirit cognitionem, nec ubique multa industria opus est; sed evolvere illam atque exponere non datur, sicuti saepius etiam fit, ut ne minimum quidem eius vestigium appareat. Pro illius autem diversitate, remedia non vnus eiusdemque efficaciae esse possunt, quamvis in multis hominibus tam levis momenti haec res sit, ut parum ad illam attendere queamus. Huc etiam referendum erit, quod nonnulli certis medicamentis sese assuefaciant, eoque ipso id efficiant, ut tandem omnis illorum efficacia quasi destruat. Mirum esset, nisi frequentiori experientia edocti essemus, ita mutari corpora sola consuetudine, ut summe exitialium venenorum haud exiguam quantitatem sine noxa atque incommodo assumere valeant, illaque pariter, ut alias impuritates intrinsecus natas, per excretiones reiiciant. Ab altera autem parte constat, illum habitum consueto quorundam



medicaminum usu corpora sibi acquirere, ut morosi et valetudinarii videantur, si vnicum diem illis non adhibitis peragunt.

## §. VI.

Quae huc vsque a nobis disputata sunt, ad medicamenta pertinent, quatenus in genere inter corpora, quorum vires machinam nostram immutare valent, numerantur. Sed propius iam ad illas condiciones accedamus, quae iisdem, in quantum eiusmodi mutationes in nobis producant, quibus morborum medela perficitur et sanitas restituitur, proprie competunt. Qua occasione autem statim notamus, non absolute illorum vires medicatrices ponendas esse, cum morbus corporis statum inuertat, eamque ob causam actio externarum rerum alio modo determinetur (§. II.). Medicamenta igitur, quae talia, non nisi in aegroti corpore locum habent et vires suas exferere possunt. Corrigentia frustra adhiberentur, nullo praesente humorum vitio, quod correctione egeat; neque antispasmodica et anodyna locum inuenirent, nisi fibrae violenter crispentur, conuellantur, aut dolor nervorum medullam pervagetur, immo longe alia in conspectum venit actio. Emetica si in vehementi spasmo praebentur, ridiculosa esset vomitus expectatio, dum constrictio, aucta irritatione, ad summam anxietatem atque suffocationem vsque increseit, et similis ratio esset, si, canali alimentorum a spasmo constricto, purgantibus retenta propellere nitereris. Illa medicamenta, quae ex subtili quadam terra constant, et inter diapnoica referuntur, corrigendo et absorbendo acrimoniam, quae, nervos intestinorum vellicans, per illorum cum cutaneo integumento consensum vasa peripherica constringit eorumque functionem cohibet, causam spasmi tollunt et excretionem sudoriferam restitunt.

Sed

Sed pone, aliam adesse causam suppressae transpirationis, tum nullum effectum praestare possunt eiusmodi remedia. Viderur quidem nonnunquam, eundem effectum aequè in sano, ac in moribido corpore a remediis produci; sed, re rite pensata, fallaciam quandam subesse constat. Diuretica, renum vasa stimulando, copiosius urinae profluvium excitant, siue naturalis sit horum viscerum status, siue sabulosa materia torqueantur: excretio ipsa autem multum differt; in illo enim casu laudabiles particulae cum lorio expelluntur, in hoc vero infensa concrementa arenosa e corpore eliminantur. Dum aestus vasa vrit et inde nimis expansi humores eadem intrare nequeunt, omnesque secretionis languent, nitroforum vsu illum extinguimus, quo facto cutis iterum maderere incipit; sed naturali calore praesente, eadem exhibita nitri portione sanguinis et arteriarum vigor plus iusto minuitur et cutis sicca euadit.

Quodsi igitur quilibet morbus peculiarem medendi modum requirit, primo tot diuersas medicamentorum species nobis concipiamus necesse est, quot essentiales morborum simplicium differentiae existunt. At in aegrotis, qui Medicorum curae se committunt, compositae tantummodo laesiones occurrunt, in quibus necessario medicamenta non eandem operationem perficere possunt, quam in simplicibus exhibent. Hisce accedit, nullum morbum accidentalibus differentiis destitutum esse, quarum multae ex §. antec. diiudicandae sunt: reliquae ex pathologicis suppleri possunt, quorsum pertinent differentiae morbi idiopathici et symptomatici, sporadici et epidemici, acuti et chronici, periodici et vagi, maligni et benigni, &c. Stadia etiam sunt cuiuslibet morbo, quae faciem eius successiue immutant et ad has vel illas remediorum vires suscipiendas corpus disponunt. Nonne  
in

in principio morborum acutorum saepe nocent, quae, circa finem vel criticam solutionem data, ita egregie naturam sustentant, ut vno impetu potentiae nociuae opprimantur et expellantur. Qui haec omnia animaduertit, de remediis specificis, quae certae parti certisque morborum compositorum speciebus mederi dicuntur, sanum iudicium ferre poterit. Cum plures afflictiones in vna parte contingere possint, et modo singulae, modo plures coniunctae adsint, idem medicamentum variis hisce conditionibus neutiquam sufficiet, sed ad aliorum auxilium insimul confugiendum est. Exsulent igitur speciosi et superbi cephalicorum, cardiacorum, hepaticorum, splenicorum, veterinorum, et qui reliqui sunt tituli, a medicinae foro ad circulatorum tabernas. Quod autem ad alteram specificorum classem attinet, haud firmiori fundamento eorum efficacia nititur, quia morbus accidentalibus differentiis carere nequit, haec autem vires medicamentorum non eodem modo semper admittunt. Cortex Peruvianus excellenti efficacia splendet in febribus intermittentibus; atamen occurrunt nonnunquam certae illarum species, quae omnem eius vim elidunt. Si autem per specifica eiusmodi intelligas remedia, quae quidem non semper, sed tamen utplurimum certis quibusdam morbis auxilium ferant, absolum esset negare, quod experientia toties ut verum comprobauit. Quare etiam Illustr. b. m. HOFFMANNVS, specificam quorundam remediorum efficaciam recensens, distinctionem illam quoad duplicem notionem praemitit, *Med. System.* Tom. III. Sect. II. Cap. VIII.

Denique non praetereundum esse puto, non omnem sanitatem deleri, quamquam vehementissimi morbi corpus discruciant; et cum haec relatio laesionum ad vim vitae superstitem varia esse possit, receptiuitas corporis etiam ab hac causa varie deter-

determinatur. Quod serio considerantes, non mirabimur, quid sit, quod, eodem morbo praesente et iisdem fere accidentalibus differentiis sese manifestantibus, euentus spei, de remediorum efficacia captae, non semper respondeat. Et simili modo de complexu plurium morborum ratiocinandum erit.

§. VII.

Principia iam stabilivimus, e quibus haud magni operis erit regulas colligere, quibus quilibet historiam medicamentorum eorumque actiones perfecte expositurus tenetur.

- I. Omnes mutationes, quae vi medicamentorum in singulis partibus eueniunt, indicari debent (§. II.)
- II. Distinguendum est inter illas, quae proxime ab illorum virtute promanant, et eas quae a consensu partium producuntur (§. III.)
- III. Qualitates et quantitates mutationum recenseri debent.
- IV. Naturae et artis operationes probe ab inuicem sunt distinguendae.
- V. Relationem medicamentorum ad varias naturae conditiones determinari oportet. Hinc varius eorum effectus in varia aetate, sexu, temperamento, et rerum praeternaturalium vsu annotandus est.
- VI. Idiosyncrasiae, consuetudinis et morborum praegressorum ratio habenda est.
- VII. Imprimis autem effectus in morbis annotandi et enarrandi sunt. Ne quis vero obiiciat, inutiles esse meditationes de viribus remediorum, quas in sanis partibus exserunt, cum ad morbos curandos tantummodo impendantur, monendum est, sanas partes aegrotantis corporis simul cum laesis mutari, nec de euentu recte iudicare licere, nisi perspicias, an mutationes hae, in bene adhuc constitutis partibus contingentes, cum curationis, quam molimur, regulis conveniant?
- VIII. An compluribus, vel singulis tantummodo morborum malis medeantur, perferutari debemus.
- IX. Quid denique accidentales morborum differentiae ad actionem medicamentorum diuersam contribuant, summa attentione dignum censeatur.



## §. VIII.

Haud dubito, quin multis nimis subtilia atque curiosa proposuisse videar, dum ad minimas conditiones, circa hanc rem occurrentes, attendere iubeo; sed grauissimus artis nostrae finis id omnino exigit, vt minima etiam curent Medici. Vnde enim fit, vt saepius spes de restituendo fallatur, quamquam natura nondum viribus suis destituatur, et remedia, quorum virtutes Viri arte et eruditione maxime conspicui summis extulerunt laudibus, adhibita fuerint? Omni iure suspicari licet, naturam, et accidentales morbi circumstantias, hanc diuersitatem in medicamentorum operatione effecisse. Nequaquam autem ab effectu illorum huius discriminis cognitio expectanda est, cum a primi temporis occasione felix plerumque curatio dependeat, et experimentum anceps et periculosum sit. Quodsi autem rei difficultates causae nostrae opponis, subentissime tecum consentio; omnis enim materia medica frequentius, quam optandum esset, candidum sese offert testem. Quot sudorifera, quot diuretica, quot antispasmodica enarrat? quae sine dubio, quotquot sunt, omnes agendi modo differunt et diuersorum morborum curationi respondent; sed rarissime hoc intuitu satis discernuntur. Veteres id bene perspexisse videntur, dum v. c. purgantia in melanagoga, cholagoga, hydragoga, phlegmagoga et panchymagoga diuiserunt, nec a ratione alienum est, alium stimulum glandulas, quae pituitam a sanguine separant, alium vasa serosa, alium ductus biliferos, alium omnia simul potissimum afficere eorumque actionem augere, quotidiana experientia id docente: sed dolendum, non tam veritatis, quam systematis, cui addicti fuerunt, fictum ordinem rationes eiusmodi diuisionum subministrasse. Molestiae autem atque labores honestum animum non deterreant, quo minus asperis et haud tritis viis veritatem consectetur; dummodo generis humani commodis inferuire possit. Sed restat adhuc, vt de ipsis methodis medicamentorum vires explorandi quaedam annectamus.

## §. IX.

Cum non post rationem medicina, vt *CELSVS* monet, inuenta fuerit, sed post inuentam medicinam ratio quaesita fuerit, haud dubia res esse potest, medicamentorum vires primo casu detectas et dein repetito vsu confirmatas esse. Faciliorem viam quaerentes,  
ad

ad qualitates, quibus gustus atque odoris organis sese manifestant, confugerunt. Sed quam falsa sint eiusmodi ratiocinia, qui primis labris scientiam naturalem gustavit, clare perspiciet. Tactus igitur et visus sensum simul in auxilium vocavit PARACELSVS eiusque schola, perfectiorem sic reddi sensualem methodum sibi persuadens: at, dum ab externa signatura effectum praedicere conatur. in nugas delabitur, neque illo neque aliis viris, qui eum secuti sunt sat dignas. Quid enim ridiculosius esse potest, quam Orchidis bulbosam radicem cum testiculis comparare, aut a rubri coloris cum excrementis cruentatis similitudine sanguinis Draconis aut Lapathi sanguinei vim medicamentosam in dysenteria suspicari? Maiorem attentionem merentur, qui chemicis, botanicis ac empiricis principis vires medicamentorum investigare student. Equidem quae a Systemate plantarum naturali desumitur methodus, ad partem materiae medicae tantummodo applicari potest; attamen, cum vegetabilia primum locum inter medicamenta sibi vindicare videantur, sine negligentiae culpa illius censura omitti nequit; adde etiam, quod sagacissimus Perill. LINNAEVS, cuius innumera de omni scientia naturali merita immortalitatem prae se ferunt, illam excogitauerit. Leges hunc in finem delineatas ipse nobis referat: *Quaecumque, ait, plantae genere conueniunt, etiam virtute conueniunt; quae ordine naturali continentur, etiam virtute propius accedunt; quaeque classi naturali congruunt, etiam viribus quodam modo congruunt.* Fundam. Botan. §. 337. Systema plantarum naturale, secundum essentialiam earum differentiam, classes, ordines atque genera distribuit, et illas, quae vnus eiusdemque sunt naturae, necessario necesse est. Sed hoc de plantis qua talibus tantummodo assumendum est. Vis autem medicamentosa nullo modo a plantis qua talibus dependet, cum hae certum habitum externum supponant, medicamenta e contrario ob solas corpusculorum qualitates vires suas expediant (§. 1.). In plurimorum vegetabilium succis efficacia eorum latet, qui, destructa plantarum figura, exprimuntur; sic flores chamomillae in puluerem triti, lenientem et antispasmodicam virtutem exhibent. Quid? quod, experientia sententiae de similitudine affinitatis botanicae et medicae innumeris locis contradicit. Quis vnquam crediderit, euphorbium, castorillam et herbam mercurialem



in ordine naturali XLVII. Linn. vicina loca occupare? Scillam, alium et lilia alba in ordine VIII. conuenire? Mirabilem, siue lalappam, daturam, verbascum in ordine XXXIII. arctissime iunctas esse? Polyandriorum classem, papauerem, Cambogiam, quae gummi guttae praebet, delphinium, aconitum, poeoniam, aquilegiam, helleborem, theam et caryophyllum vicinas sese salutare? Attamen iussit perill. LINNAEVS, ad saporem, odorem, interdum colorem et locum natalem simul spectari debere, et ab illis quasdam medicamentorum diuisiones constitui posse. Quales autem obiectiones contra hanc methodum formari possent, e superioribus iam patet. Falsa enim est sententia, quod eundem in modum, quo agunt corpora in neruos olfactus et saporis, agant etiam in neruos torius corporis, dentis modo mineralibus. *Amoenit. acad. Tom. I. p. 447.* Quo nerui nudiores sunt constituti in parte aliqua, eo violentiores effectus ab irritamentis excitantur, et similis fere ratio est, quo propiores origini suae adiacent. Et quam parum constans sit olfactus iudicium, antea iam percepimus, vbi consistit, suaueolentia aliis videri, quae aliis foetida apparent. An manna inter nutrientia refertur? aut dulcis est. Nonne iurares, mechoacannae radicem nil efficere posse, ab omni sapore et odore destitutam? attamen alium mouet. Quid? quod, vires medicamentorum non absolute concipiuntur: quae in sano corpore nociua deprehenduntur, vel venenatam potestatem exercent, illa in aegrototo maxime salubria euadere possunt, vnde deia varia illorum mox inter medicamina, mox inter venena locum obtinent. En! caussam, cur Graeci vtraque communi nomine *Φαρμακα* appellauerunt.

## §. X.

Iam chemici labores, quibus medicamentorum vires eruere student, examinandi veniunt. Qualitates corporum a partibus constitutivis et compositionis modo dependent. Necessè igitur est, ut vires medicamentorum physice exposituri, in partes suas resoluamus, et rationem, qua inter se nexae sint, detegamus. Noli autem contradictionis me accusare, de modo compositionis peruestigando loquentem, cum superius (§. I.) asseruerim, illum ad essentiam medicamentorum non pertinere. Medicamenta e corpuseulis certa ratione inter se iunctis constant, quae iterum e minoribus partibus combinata



combinata sunt, et de posteriorum compositione huius loci nobis sermo est. Plures autem atque magnae difficultates eos, qui partes constitutas earumque coniunctionem sic perferutari volunt, impediunt, quo minus felicem experimentorum successum sperare possint. Quoad primum momentum sequentia animaduertamus: 1) Ad separandas diuersae indolis particulas fluidorum quorundam, quae metrua dicuntur, auxilio vimur, quibus non solum cohaesio, sed plerumque etiam ipsa molecularum indoles commutatur. Scio equidem, blandissima hanc ob causam commendari; sed quam blandae etiam sint indolis, satis adhuc efficacia manent. Leni calore modo fermentatio, modo putredo excitatur, qua particulae in conspectum veniunt, quae neuiquam pro proxime constitutis haberi possunt. Spiritus vini nonnunquam ipsis partibus sese associat et aliam speciem illis praebet, quam antea habuerint. HELMONTII ossa, vere mirabile corpus, id restatur; solidum enim e liquidis alcalinismoleculis, solo connubio spiritus inflammabilis, emergit. Nil dico de destillatorio igne et salinis menstruis, quibus noua producta prodeunt; quapropter Illustris PRAESES, Praeceptor meus summo pietatis cultu ad cineres vsque deuenerandus, in *Prolegomenis Fundamentorum Materiae medicae* monet, ne illis ad explorandas partes simplicium constituentes utamur et sic in errorem delabamur. 2) Nonnunquam ramen vel corpora intacta relinquenda sunt, vel acerrimis menstruis chemicis opus est, et tum frustra laborem impendimus, quandoquidem secundum partes, quae inde resultant, nullum iudicium de corpore ipso ferri potest. 3) Corporum molecularum ad tantam vsque exiguitatem diuidi possunt, quamuis earum natura nullo modo destruat, ut rationem aequae ac sensuum aciem eluderent, nisi miri et stupendi effectus de illis restentur. Desiderari hoc respectu merentur BOYLEI experimenta hunc in finem instituta. Durissima metalla, in acidis soluta, vel vi mallei explanata, vegetabilium spirituosae partes, caloris ope in vapores dissipatae, animalium succi in leuissima filamenta commutari, et innumera alia huc pertinent. Sunt quidam, qui cubiculum, in quo felis aut canis armario inclusus latet, intrantes, nescio quam mutationem in corpore suo percipiunt: anguntur, vix spiritum ducunt, vel tandem viribus destituti animi deliquium patiuntur. Eo-

lat e fermentantibus crudis fructibus cum sibilo spiritus elasticus, vasa fere quaecunque stupenda sua vi displodens, nullis oculis detegendus, nares tantummodo acriter feriens, omnesque neruorum actiones suffocans. Vinum, frustulo vitro antimonii integro, non comminuto, infusum, horrendum vomitum ciere valet, certo documento illud partes quasdam antimonii in mixtionem suam recepisse, licet, dum frustulum illud iterum abstersum lanci imponitur, nullam ponderis iacturam deprehendamus, simili modo ac in hydrargyro, quod, cum aqua decoctum, menstruo huic virtutem anthelminticam et qualemcunque corrigentem antiuenercam absque ponderis sui decremento communicat. Iudicari ex his potest de mirabili efficacia minutissimarum molecularum. Fugacissime Chemicorum operationibus sese subducunt, et admirationem sui quidem relinquunt, ipsam autem suam naturam minime manifestant.

4) Partes constituentes, quae chemica methodo eruuntur, maxime inter se differunt, quamquam communi opinione eiusdem esse indolis putantur. Resinosas, gummofas, oleofas, salinas fixas et volatiles recenset de variis simplicibus materia medica, de discrimine interim variorum oleosorum, resinosorum &c. corporum parum sollicita. Sed cheu! quot olea, quot resinae, quot gummata profstant, quorum vires insigniter differunt! Hinc fit, vt medicamenta, quibus easdem partes constituentes assignamus, plane oppositos facpius monstrant effectus. Celeberr. GEOFFROI quidem, et alii cum illo, speciem partium salinarum determinare studuerunt, sed euentus voris non satisfecit. Credo equidem, nonnunquam eiusmodi experimenta multa cum vtilitate institui posse; longe pluries autem nil boni exinde resultabit, donec vniuersae Chemiae noua lux affulgeat. Quae huc vsque cognitae sunt medicamentorum partes, certe non sufficiunt ad eorum vires recte perspicendas.

5) Multa in Physiologia atque Pathologia adhuc obscura applicationem eorum, quae chemicae operationes detegunt, prohibent. In quolina menstrua corporis humani, quae partes quasdam medicamentorum extrahunt, aliis relictis, nondum satis cognita habemus, adeoque nescimus, quaenam praecipue agant et effectum exerant, quem omnibus partibus tribuimus. Sed ponamus, anlysin chemicam veras partes constitutivas sistere, modus tamen compositionis,

quo

quo antea mixtae fuerunt, ex separatione earum concipi nequit, et hoc alterum momentum est, quod Chemicus praeflare deberet. Quis vnaquam e qualitatibus acidi et inflammabilis, aut acidi et alcali, sulphuris et salis neutri singulas qualitates rite explicauerit? nam dependent insimul a mutuo nexu, et alia res est mixtorum, quam commixtorum corporum. Figuram minimorum corpusculorum nunquam detegimus, quod tamen necesse esset, si combinationis rationem peruestigare velimus.

Haec sufficiant ad diiudicandum huius methodi usum. Primo hinc tenendum est, Chemicam sine experientia de viribus medicamentorum nil explicare posse. Quodsi enim partes constituentes medicamentorum separat, easque denuo in minores resoluit, et hac ratione longe multumque progreditur, tandem tamen in quibusdam subsistere cogitur, quas pro simplicibus habemus, et quarum virtutes mediante empiria vnicè cognoscimus, cum longe absit, vt ad principia earum mechanica, figuram, magnitudinem, motum et situm recurrere possimus. Dein autem methodum chemicam maximis difficultatibus obstrui, quod complures clarissimi Viri saepius ab experientia probarunt, vt BOYLEVS in *Chymie. seopt.* LEMERY in *Commentar. Acad. Scient. Paris.* et imprimis BOERHAAVIUS, in Succini naturam inquirens: *Sane et inde*, inquit, iterum exemplo cernimus manifesto, incredibiliter differre producta chemica, prout vno vel alio menstruo, aut modo perficiuntur et praeparantur. Etiam liquet, quam maxime abscondita latere posse in composito quodam elementa quam diuersissima, sine vllò signo suae praesentiae et naturae, et quidem quamvis subtilissime diuidantur, aut tritu, aut et menstruo quodam. Hinc etiam liquet, quantum solo diuiso, menstruo quodam facta, etiam absque elementorum extricatione, vires nouas producat. *Element. Chem. Tom. II. Part. I. Proc. LIIX.* Consentit CHOMELIUS: fere bis mille, inquit, *analyses plantarum per ignem fecere Chymici reg. Scient. Acad. Paris.* Sed his omnibus praestitere nihil, nisi vt liquidum foret, ex omnibus communiter extrahi posse acidi liquidi quantitatem, olei essentialis seu foetidi maiorem vel minorem, salis fixi, volatilis et concreti, pblegmatis inspidi et terrae copiam, et saepe haec omnia eadem quantitate et proportione in plantis diuersissimi effectus; inutilis ideoque et irritus labor; profuit tamen ad praecudicium deponendum de vi *analysesos.* Abbré

gé



gé des Plant. usuel. p. 37. Iniurius autem in me esses, si forte putares, me utilitatem experimentorum chemicorum in dubium vocare: Docent enim, pro diverso usu, variarum compositionum praeparationes, noxiarum quarundam qualitatum correctiones, inertium partium ab utilibus separationes, virium conuenientium coniunctiones, et similia alia, quae scitu perquam sunt necessaria.

## §. XI.

Sola igitur experientia ad virium, quibus medicamenta polent, certam firmamque cognitionem ducimur, quippe quae, si rite comparata est, nunquam fallere potest. Caue autem, ne illi tribuas, quos Medici nonnulli commiserunt, errores. De effectu saepe pronuntiant sine vlllo respectu ad aegroti et morbi naturam; sic decipiuntur et contentiosa voce alios decipere nituntur. Experientiae debemus, quae saluti aegrotantium et honori artis prospiciunt, medicamenta. Opium, rhabarbarum, corticem Peruvianum, Ipecacuanham, asam foetidam, camphoram et alia, quae nobis Barbari suppeditarunt, multis et egregiis forte adhuc sub eorum manibus latitantibus. Rationalis empiria illustrem *СРОЕРСКІУМ* (nullas enim partes constituentes enarrat,) de Cicuta, Colchici, Aconiti, Stramonei et Hyoscyami salutaribus qualitatibus certiore reddidit. Non solum autem noua sic inuenienda, sed antiqua etiam denuo examinanda sunt, vt, quid de illorum singulari praedicata virtute verum sit, quid vanum, omni dubitatione certius cognoscatur. Impediunt hoc perutile negotium plures causae, et imprimis multiplex medicamentorum farrago. Mutatur quotidie selectus medicaminum; plura in vnam formulam coniunguntur, vt lesquipedali longitudine superbiat. Sed ab amplissimo et fertilissimo campo me iam discedere, incoepti ratio temporisque angustia iubent.

T A N T V M.



01 A 6543

ULB Halle  
002 931 672


3




Sb.

VOI 8/12







B.I.G.

Farbkarte #13

DE  
**MEDICAMENTORVM**  
EXPLORANDIS

EX AVCTORITATE  
SACROSANCTI MEDICORVM ORDINIS  
REGIA FRIDERICIANA  
PRAESIDE  
**HEINRICH ELIA BÜCHNERO**

PHYSICI ROMANI IMPERII NOBILI,  
PRUSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,  
PHILOSOPHIAE NATVR. PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,  
MEDICAE SENIORE ET H. T. DECANO,  
ACADEMIAE NATVR. ALVMNORVM EPHORO,  
ACADEMIAE NATVR. CVRIOS. PRAESIDE,  
ACADEMIAE NATVR. ANGELICAE BEROL. ET MONSPELIENS. SODALI,  
COMITE PALATINO CAESAREO,

**RADV DOCTORIS**  
SVCVS PRIVILEGIIS RITE CONSEQVENDIS  
D. XI. OCTOBR. A. S. R. MDCCLXV.

H. L. Q. C.  
PVBLICE DISPVTABIT  
AVCTOR  
**HENRICVS CORDEMEYER**  
BERGAE - GVESTPHALVS.



HALAE MAGDEBVRGICAE,  
IOANNIS ANDREAE STEPHANI.